

mense junio Mediolano discedens , Alexandriam venit . Carolus , lustratis copiis , in fines Insubrum illatus , Palestram oppidum cepit atque incendit , vicinosque agros depopulatus est . Idem quoque Mendoza cum in Hastensi fecisset , recta ad Hastam oppugnandam contendit , erectisque munitionibus , majoribus tormentis quatere moenia coepit . Carolus tumulos quosdam urbi objectos occupaverat , quibus communis , summovere hostes ab urbis oppugnatione posse sibi suadebat . Verum Hispani primo impetu Sabaudum relinquere loca , quibus infederat , non absque suorum militum damno coegere ; quo in congressu Calusii comes , Verruæ filius , vivus in potestatem hostium pervenit . Carolus vero , licet viribus ad impetum sustinendum impar , se se recepisset ; id tamen ordinate adeo , atque ex militari præscripto fecerat , ut , nullo timoris signo edito , id potius sponte ac studio , quam coactus effecisse videretur . Hispanorum prima cum Sabaudo congressione per Italiam vulgata , non deerant , qui Carolum acriter carperent , quod parum prudenter cum potentissimo Rege bellum suscepisset ; brevique poenas temeritatis daturum autumarent : quæ ita ab Hispanis efferebantur , ut jam Carolum perdonuisse sibi suaderent , palamque dictitarent .

Ac sane Alphonsus Queua Patrum Collegium adit , atque in Carolum acerrime invehitur : Hispanos omnes sui Regis eximiae clementie ac bonitati illacrimari , qui tot sibi a Carolo illatas injurias oblitus , modo copias dimitteret , veniam daturum polliceretur : ingratum eum esse , qui tanti Regis beneficiis non deliniatur , non flectatur ; imprudentem , qui tantum sibi persuaserit , ut cum omnium Regum , quos orbis terrarum sustinet , potentissimo , tot divitiis referto , tot provinciis regnisque imperanti , sibi dimicandum statuerit ; denique supremo dignum supplicio , in quem cuncti , veluti contra amentem surgant , atque a furioso arma e manibus extorqueant : jam , quo illius conatus evaserint , quo fastus ac jactantia cesserit , patere ; victum ignaviter se recepisse ; paucorum dierum spatio non modo Hasta , sed aliis quoque Allobrogum ditionibus Regem summa felicitate potiturum . In hanc sententiam hæc atque alia multa a Queva exaggerata sunt .

Paulo post Leonius , Regis Galliæ legatus (uti creditum
H. Mauroceni T. III.

Mm est ,

1615
Mendoza
& Saban-
dus copias
educant .

Calusii Co-
mes ab Hi-
spanis ca-
ptus .

Alphonsus
Queua ,
Hispanus
orator , in
Sabauaum
invehitur .